



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De
Westphalia & Saxonia Inferiori**

Hamelmann, Hermann

Lemgoviae, 1711

VD18 11397225

11. Chronici Osnabrugensis Libelli duo.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

CHRONICI
OSNABURGENSIS

LIBELLI DUO,

In quorum priori sacra tractantur,
altero vero res gestæ commemorantur,

Collecti ex

ALBERTI KRANTII

METROPOLI & SAXONIA,


per

HERMANNUM HAMELMANNUM,

LICENTIATUM THEOLOGUM,

in honorem suæ Patriæ.

Quibus fruantur Domini, cives, conterranei que nostri in Inchyta urbe & ditione Osnaburgensi tantisper, donec supplementum vel augmentum additionemque ex Chronico Dn. Ertwini Ertmanni, quondam Consulis Osnaburgensis, dederimus, qua omnia illa, qua hic non dicuntur, vel forte desunt, plenius, apertius & perfectius tractabuntur, atque neglecta & præterita à Krantio resarcientur & complebuntur, eaque absolventur, qua ad plenam Historiam Osnaburgensem pertinere videbuntur.



Reverendissimo Praesuli & Clarissimo Principi, Illustri genere, eruditione multa, ingenio & aliis natura dotibus excellenti

Domino JOANNI,

Antistiti Osnaburgensi & Comiti de Hoya ac Brochusen, &c.
Domino observandissimo, Patria quoque sua Principi clementissimo.

SI Doct. Krantii Metropolitim, vel historiam Ecclesiasticam
Reverendissime & Clarissime Princeps, invenimus magnam
copatuum diversis temporibus etiam in Westphalia & Saxonia
tatem fuisse. Dati enim primo sunt & constituti Ecclesis Episcopi ab ip
per aratoribus docti & pii, qui ipsi etiam docebant publice in Ecclesiis & op
era exercebant: Et tunc confirmatio non à Romano Pontifice sed à
chiepiscopo proximo & vicinis duobus Episcopis petebatur. Hi
nim electum examinare & deinde consecrare solebant: Mox & ipsi Ca
res, neglectis saepe doctis, providebant de Episcopatibus quibusdam in
la: tandem illud jus conferendi Episcopatus eripuerunt Imperatoribus
Romani Episcopi, & non leve certamen super ea re inter Caesares & Pontifices
Romanos oriebatur, cujus principus creditur fuisse auctor Gregorius 7. ante
dictus Hellebrandus, qui etiam conjugium Germanis Sacerdotibus ad
mit: interim in quibusdam locis ipsi fratres communiter in collegiis vivebant
(sic enim olim dicebantur) qui postea capitulares vocabantur, ceperunt
ex suo ordine vel aliunde Episcopos eligere, qui mos etiam hodie man
fere apud omnes cathedrales Ecclesias, atque tunc quoque ad se transferunt
Romani Papae confirmationem omnium Episcoporum, quam etiam Me
tro ipsi deferebant multi electi, qui malebant istam ab illò, quam à Me
ropolitano petere, forsan ne examinarentur, atque deinde, ne jugum
cui vicini Metropolitanis subessent, quia facti Principes Imperii, imp
tratis Regalibus inceperunt fastu laborare: Crescente sic pedetentim
pa, noluerunt etiam ipsi Episcopi postea sacris se immiscere, sed aliorum
rios in spiritualibus, hoc est, suffraganeos, quibus sacra commiserunt per
cienda, ipsi Principum more viventes: addamus etiam illud ex Krantii
quod uno tantum Episcopatu contenti erant, nec ab eo facile transferentur
nisi gravissimis de causis, postea translatio erat usitata, quod etiam de

Cels. antecessoribus testatur, postremo non transferbantur amplius, sed aliam commendatam incipiebant habere: nostro vero tempore ceperunt cumulare Ecclesias, & non unam habere commendatam sed plures, ut trium sæpe Episcopatum sint occupatores, &c. Atque de tali & simili mutatione Episcopatum, quæ in Westphalia & Saxonia facta est, perspicue ita diversis in locis refert Krantius. Non dicam nunc quomodo Paulus describat Episcopum, & quales in antiquissima Ecclesia Episcopi, ut Irenæus, Cyprianus, Ambrosius, Basilius, Augustinus & Chrysostomus fuerint, quia hic mihi cum Krantio est tantum negotium: optandum tamen esset, ut aliquando nostri sæculi Episcopi ad priorem illam integritatem suorum majorum redirent. Sed redeo ad Krantium, qui postquam recenset talem & similem Episcopatum per Saxoniam & Westphalam mutationem, & simul describat inter alias quoque Osnaburgensem Ecclesiam, ejusque Episcopos (ex quibus tamen quosdam ignoranter prateriit) recitet, collegi breviter ex ipsius Metropoli, (quam mihi usui dedit, quia aliunde à Bibliopolis habere non potui, T. Cels. Inclyte Princeps, Officialis & Consiliarius Spectabilis, Eximius & ornatissimus vir. Conradus de Castro LL. Licentiaus & Decanus ad S. Joannem Osnaburg.) illa omnia quæ ad nostram patriam spectant: Spero autem hæc non ingrata fore T. Cels. postquam hic referatur, quid majores & antecessores vestri egerint. Cum vero nunquam historia aliqua Principis vel ditionis cujusdam in Westphalia sit edita, quod ego sciam, volui ego primus Osnaburgensis Ecclesiæ & Episcoporum ejusdem Ecclesiæ res gestas in lucem protrudere primò; tum quod illa prima in Saxonia fuerit Ecclesia atque civitas ipsa, Inclytum Osnabrugum, mea quidem sententia, omnium sit inter Westphalas antiquissima, etiam à Bructeris nomen habens; tum quod in eadem Ecclesia sit Academia & celebre literarum Phrontisterium totius quasi Saxonix omnium primò constitutum. Gaudebit sane & non parvo afficietur recreatione T. Cels. quoties recordetur, quod isti præsit Ecclesia, quæ prima in tota Provincia constituta est olim Ecclesia, & quæ præ reliquis omnibus tanto Schola ibidem per Carolum Magnum instituta ornatu ab initio decorata est: tertio quod etiam multos pios & doctos Rectores & Episcopos habuit. Interim Illustriss. Princeps certum est, T. Cels. omnes tuos antecessores facile eruditione vincere, quamquam Bennonem II. quem alii Bernhardum vocant, valde ab eruditione commendent annales, tamen te illi non cedere mihi persuasissimum habeo. Spero quoque T. Cels. fidelitatem, Zelum & religionem primi Episcopi Wihonis, deinde Gosberti, Theitmari & quorundam aliorum


qui in T. Cels. Ecclesia ante secula aliquot pii Episcopi fuerunt, imitari, atque veram illam Adolphi, 28. Episcopi Osnaburgensis, humilitatem eamque non fictam sepe ob oculos ponere & in exemplum trahere: adde quod tua Generosa & illustris familia Inclitorum Comitum de Hoya multis sepe ditioribus & Ecclesiis, ut Hildesimensi, Monasteriensi, Bremensi, Osnaburgensi, Paderbornensi, Mindensi & Verdensi Præstantes Episcopos diversis temporibus dederit, quos omnes ut tua Cels. ingenio, iudicio, doctrina & lectione sine dubio antecellit, ita quoque opinor te quotidie eniti, ut eorundem tantorumque majorum tuorum virtutes præclaras & egregia facta non tam imitari, quam longè superes, quod ut speramus, ita omnibus modis optamus. Memoriam nostram officium & studium, quo T. Cels. antecessores prosequor tantumque clientulus T. Cels. & ditionis Osnaburgensis, ut T. Cels. in bonam partem commutetur, doctissime Præsuli, & clementer suscipiat, reverenter & submissè. Vale Princeps clarissime. Lemgovix Comitatus Lippia in die Barnabæ Apostoli, qui fuit 11. Junii, Anno Domini 1564.

T. Cels. reverenter colens

HERMANNUS HAMELMANNUS,
Licentiatus & Ecclesiastes Lemgovienſis.

LIBER PRIMUS
CHRONICI OSNABURGENSIS
Qui continet Sacra ex KRANTIO collecta.

Krantius in Metropoli libro 1. cap. 2.

 Arolus ea lege servavit *Saxones* superatos, ut Christi fidem cum religione sulciperent. Igitur in loco *Osnaburga* habitatoribus satis frequente, cum vicinam *Widekindi* arcem (quæ teste *Krantio* libro 1. capit. 1. *vix passuum spaciis quingentis ab urbe Osnaburga sita fuit*, cujus ibidem extant adhuc reliquæ) jam captam imposito præsidio teneret, *Ecclesiam exedificavit primam in Provincia Episcopalem*, eique virum sanctum præfecit *WIHONEM*, primum ejus loci Episcopum. Et hic vir sensatus egit pro zelo sacrae religionis, satis verbo insistens & opere, ut creditas animas & fervaret & multiplicaret, &c.

Admonitus *Carolus* dedit *Privilegium* novæ *Ecclesie Osnaburgensi*, ut utriusque ibi lingua schola haberentur, præsent doctores viri insignes, &c. In privilegio, quod *Krantius* verbatim recitat, legitur, quomodo quoddam nemus vel forestum ad usum istius scholæ contulerit earatione, ut ibidem Episcopus cum sumptu ab Imperatore adhibito, legationis honorem ab Imperatore in Græciam suscipiat. Itaque statuimus, ait in privilegio, quod in eodem loco *Græcas & Latinas Scholæ* in perpetuum manere ordinavimus, nec unquam clericos utriusque linguæ gratos ibi deesse confidimus, &c.

Krantius lib 1. cap. 24. Metropolis.

Post primum *Wihonem* successus est *MENGARDUS*, vel *Meingerus*, vir Præfulatu dignus & pro religione illa & fervore. Vidit hic Pontifex in diebus suis insignem illam cleri secularis reformationem sub *Ludovico pio* factam, cum Canonicis secularibus adimeretur succrescens pompa in auro & argento, in pellicibus variis magni pretii, quæ res jam tum excrevit in abusum plurimum per Gallias & Germaniam,

libro eodem cap. 40.

GESUWINUS, metuens iram Imperatoris, latitavit in canobio *Fuldensi*, hinc tamen, interdum furtim ad suam excurrit *Ecclesiam*, ut officia Pontificis impletet.

Krantius lib. 2. cap. 17. Metropolis.

Molitione *Cobbonis*, viri nobilis (qui creditur Comes in *Sectenborch* fuisse) qui multum potuit apud *Ludovicum Ludovici Imperatoris filium*, præficitur *Osnaburgensi* Ecclesiæ *GOSBERTUS*, qui ex *Suevia* ab apostatis exclusus erat: Hic interfuit Christianorum prælio in *Ebbesforter* ubi contra *Danos* infideles pugnarunt.

Libro 2. cap. 26. *Quintus* in *Osnaburgensi* Ecclesia Pontifex *EGBERTUS*, *Gosberto* mortuo & occiso in eade peracta à *Normannis*, successit vir egregius. Hic rexit Ecclesiam suam per annos *decem*.

Libro 3. cap. 7. Præfuit *Osnaburgensi* Ecclesiæ *EGELMARSUS* Deo dignus & pontificali honore dignissimus, qui præfuit Ecclesiæ *tribus & triginta* summa laude, &c.

Libro 3. cap. 14. *Osnaburgensi* Ecclesiæ præfedit *DODO*, VII. Pontifex, & præfuit per annos *12*. Ecclesiæ, quanquam credendum est quod per plures annos sederit usque ad *Ottonis primi* tempora.

Libro 3. cap. 25. *Octavus* numero præfuit *Osnaburgensi* Ecclesiæ sub *Ottone I.* vir optimus *DROGO*, qui pervenit ad annum Domini *909*. quo tempore, 3. Idus Aprilis diem clausit suum.

Libro 3. cap. 39. *LUDOLPHUS*, vir nobilis, consanguineus *Ottonis II.* Imperatoris, fuit *nonus* Pontifex, vir optimus, qui pervenit ad annum *83*. post *900*. 3. Calendas Aprilis, & præfuit Ecclesiæ suæ summa cum laude per annos *14*. hoc est, à *69*. quo interfuit decessor ejus, ad *83*. annum, quo ille defecit, &c. hoc est, anno Domini *983*.

Libro 3. cap. 45. Sub *Ottone tertio* fuit *Osnaburgæ* Episcopus *DO-DO II.* ejus nominis, & *decimus* in ordine Episcopus, qui sine querela versatus est in custodia gregis dominici, qui pervenit ad annum *96*. post *900*. atque dormivit in Domino 2. Idus Aprilis.

Libro 4. cap. 13. *Osnaburgensis* Ecclesia Præsulem habuit, postverabilem *THIETMARUM*, Pontificem illustrem, *MONCHERUM* in ordine *14*. qui Ecclesiæ *quatuor* annos præfuit sub *Henrico II.* & migravit ad Dominum anno *1028*. sub *Conrado II.*

Libro 4. cap. 18. *ELVERICUS*, vel ut alii scribunt *ALVERICUS*, fuit *16*. Episcopus *Osnaburgensis*, hic *quindecim* annis præfuit Ecclesiæ & deinde mortuus est anno *52*. post mille, Calendas Maji.

Idem libro 4. cap. 38. *WERINCHERUS*, quem nonnulli putant fuisse binominem, ut & *Benno* diceretur, præfuit *Osnaburgensi* Ecclesiæ per annos *16*. sub *Henrico IV.*

Libro 5. cap. 26. BENNO II. præfuit Ecclesiæ Osnaburgensi sub *Henrico IV.* quem alii *Bernhardum* vocant, *ordine Pontificum* 18. qui hinc ad *Domium* migravit anno 1088. undecima Calendas Augusti. Hic fuit ab ineunte atate Deo deditus, origine Suevus: qui cum Scholis præfuisse apud Ecclesiam Hildesimensem, (docebant enim illa atate Scholastici Sacras literas, & habebant, qui subdocerent in trivialibus) clarum illi nomen ex doctrina & vitæ religione conciliabat eum Imperatori *Henrico*, *Goslaria* manenti illa tempestate. Ita vacante Ecclesia Osnaburgensi est hic Benno ad illam magnis istius Imperatoris suffragiis eò promotus. Dedit quoque operam Pontifex ut vitæ sanctimonia tantum, quantum dignitate excresceret: Moniales extra regulæ limites retrusit in observantiam, &c.

Libro 5. cap. 36. Sub *Henrico IV.* præfuit Ecclesiæ *Marquardus*, *ordine 19. ex Abbate Corbiensi* factus Episcopus, qui est depositus Episcopatu.

Libro 5. cap. 38. WIDO successit *Marquardo* sub *Henrico IV.* & sedit annos octo, pervenitque vivendo ad annum primum post mille centum, 11. Calendas Maji mortuus est.

Hic successit PHILIPPUS, *Comes de Sagenessenbagen ordine 25.* teste *Krantio* libro 6. cap. 34. qui cum summa laude præfuit: Et duo monialia monasteria sunt sub illo erecta, primum ex arce *Ojede* cum vir ibi esset militaris ejus nominis de *Ojede* sine prole, & è consensu Domini feudi, prædiis & curtibus dotaret ad victum Deo s'rvientium puellarum. *Alterum in Quarnhem* / quod atate nostra anno 85. sub *Conrado de Hettberg Pontifice* post annum 1400. à Christo, sanctam subit reformationem in moribus & disciplina. Erat etiam tunc controversia inter Ecclesiam majorem & D. Joannis collegium super observatione solemnitatum in idem concurrentium, sed opera Pontificis cessit minor majori, & in recompensam propagata est minor in multas villas, quæ ante illi non parebant, &c. Præfuit Ecclesiæ suæ laudabiliter per annos 32. &c.

Libro 6. cap. 44. Præfuit loco 36. Osnaburgensi Ecclesiæ ARNOLDUS, antea præpositus, qui stabilivit monasterium in *Ojede* / adjectis ei prædiis de *Bardinchusen*: Comes pro tempore istius feudi Dominus fuit *Tecklenburgicus*, qui ista concessit monasterio autorizante Episcopo per formam solemnem, quam ille in terrorem excogitavit. Erat tunc nobilis Domina *Eylica Comitissa*, quæ & ipsa auxit monasterii istius prædia, larga de suis mansis contributione: Hanc Episcopus donationem ratam habuit & autorizavit, interdicens, ne quis in futurum ausit
hoc

hoc irritum facere. Præfuit Ecclesiæ suæ hic Pontifex cum summa laude per *annos* 22. circa annum Domini 1186.

Libro 7. cap. 7. GERHARDUS *de Lippia* sub *Frederico I.* Imperatore 27. Pontifex, qui capitulo suo & ministerialibus multa pro veteri licentia poscentibus non adquevit, vir acer ingenio, *Monasterium in Hersford* monialium curavit reformari, sorore sua, quæ præerat alteri monasterio, huc ad regendam sanctam confirmationem translata.

Libro 7. cap. 19. ADOLPHUS successit *Gerbaro* in *Ecclesia Osneburgensi*, vir singularis devotionis & industriæ, qui officium canonicorum auxit sed oneravit vicissim, ut cultum religionis amplificaret multa per industriam & sollicitudinem adjunxit Ecclesiæ. Cum iter faceret in *Darstennow* itinere medio casellam habuit vir leprosus, quem miseratus Episcopus, quoties pertransiret, curavit visitare, & allocutione fraterna invitavit ad patientiam, proposita ei in exemplum *Christi* passionis, & nihilominus reliquit eleemosynam indigenti. Pertæsumus ministerialibus more, quem ibi Episcopus faciebat præteriens: de tamen cum illi nemo opponere auderet fastidium, effecere, ut transitorio per viam Episcopo subduceretur per ordinationem illorum. Intraivit tamen de more casellam Episcopus, & quem illi dudum transulisse videbantur, ne ibi tempus Episcopus tereret, videt ipse ante se in loco sedere consueto leprosum. Cui cum solita monita repetisset *Adolphus*, in gratias solvitur leprosus, dicens se doctrinis ejus Episcopi plurimum profecisse: & ita videntibus cunctis, qui aderant, spiritum esse viri de dicitque signa sanctitatis, cunctis admirantibus, & de sua fraude quam commiserant, dolentibus.

Libro 7. cap. 43. BRUNO, Comes *de Zsenberg* successit *Adolpho*, hic se ante finem vitæ abdidisse in *Monasterium* dicitur, & multa fecit in componendis controversiis, quæ erant inter canonicos Ecclesiæ & nonnullis ceterioris ordinis, nonnullasque quæstiones resolvit inter capitulum & Episcopos, ut se pacis sequestrum monstraret diligentissimum, *12* annis fertur Ecclesiæ huic suæ præfuisse, quos impendit rebus Ecclesiæ salutaribus, plura facturum, si longior ei Pontificatus fuisset.

Libro 8. cap. 7. WEDEKINDUS, *de Waldegge* Comes, successit *Brunoni*, & præfuit cum eximia laude per tempora sua, procurans res Ecclesiæ per decennium laudabiliter.

Libro 8. cap. 19. In locum *Wedekindi* venit *BALDUINUS* de *RUSLE*, vir insignis, Episcopatu dignus, qui inceptum prædecessoris sui

sui Brunonis de Ecclesia collegiata in Biedenbruge consummavit, Præbendas auxit, Præposituram pro canonico majoris Ecclesiæ, datis insuper literis in perpetuam rei memoriam, quæ extant, servavit &c.

Libro 8. cap. 28. CONRADUS, Comes de Retberg / successit Baldewino ordine 32. hic transtulit collegiam Quakenburgensem in Bramesche / consentiente capitulo cathedrali, quod is locus commodior videretur rebus ad Ecclesiam pertinentibus, servato tamen cuique jure suo illibato, ut par erat. Pontifex hic per annos 28. præfuit bene Osnaburgensi Ecclesia.

Libro 8. cap. 52. Conrado successit LUDOVICUS, Comes de Ravensberg / tricesimus tertius Pontifex istius Ecclesiæ ordine, vir magni animi, qui Ecclesiam laboriose rexit, & plurima jura suæ Ecclesiæ recuperavit: annis autem duodecim præfuit Ecclesiæ.

Libro 9. cap. 11. Post Ludovicum accepit curam Ecclesiæ Osnaburgensis ENGELBERTUS cognomento de Weyse / ordine 34. qui vigilanter Ecclesiæ commodis intendit: præfuit autem per annos decem.

Libro 9. capite 27. Engelberti locum occupavit post illum GODTFRIDUS, de Arnsberge Comes, qui per annos triginta gubernavit Ecclesiam suam multo labore, & tandem postulatus est ad Ecclesiam Bremensem, quo in loco non satis feliciter res ipsius transierunt.

Libro 10. cap. 4. Osnaburgensis Ecclesia cum vacaret, facta translatione Godefridi ad Ecclesiam Bremensem, quærebat, qui succederet loco, & esset ordine tricesimus sextus. Erant tunc temporis insignes viri Doctor Lubertus WEND & Dominus Arnoldus CANON, canonici Osnaburgenses, qui contempto seculo in cœnobio campi sanctæ Mariæ (Mariensfeldt) conversionis gratia, ordinem Cisterciensem sumpsere, quorum alter in novitiatu electus est in Episcopum Osnaburgensem Doctor LUBERTUS, sed is renuit & in religione sacra permansit, DEO inibi serviens per annos 26. Per hanc moram providit sedes Romana M. JOANNI HOED / Decretorum Doctori, de Ecclesia ista. Interim res erat insolita & nova, & ideo sine turbatione animorum fieri non potuit, & tamen quid facerent? digna erat loco persona, non tamen ingressa per ostium solitum libera electionis. Habebant exemplum proximi Domini Ludovici de Hassia Landgravii, qui per eandem viam ad suam Ecclesiam Monasteriensem pervenerat. Hic JOANNES per annos sedecim Ecclesiæ qualitercunque præfuit, ejusque sepultura hodierno die cernitur in medio templi Cathedralis, &c.

Libro 10. cap. 24. Sequitur Joannem Hoed MELCHIOR, *Brunswicensis Dux*, ex provisione Romani Pontificis, quia tunc incipiebant ea ingredi in Ecclesias majori etiam nobilitate illustres: Sed is tandem transfertur per Pontificem ad Sverinensem Ecclesiam, & ita absolvitur Ecclesia Osnaburgensis ab eo, quæ certe tali Pontifice non multum gloriatur.

Libro 10. cap. 48. Translato ad Sverinensem Ecclesiam Melchior Duce Brunswigenfi Transylvano de Grubenhagen / non Vicarium Theodoricum de Marca elegerunt, sed THEODORICUM de *REIN* / pridem Præpositum, virum magnanimum, in Episcopum, qui duras habuit partes gubernandæ Ecclesiæ, propter statum a turbatoribus turbatum.

Libro 11. cap. 25. Vacante Ecclesia electus est HENRICUS *Svericensis Dux*, vir bonus, sed ille mox, percepta morte fratris Gerhards, ad suos deferens Ecclesiam, (Hic omittitur à Krantio OTTO de *HOVA* administrator, & JOANNES à *DEPHORE*.)

Libro 11. cap. 39. ERICUS *Comes de HOVA* electus Osnaburgæ Præfulem, mox ejicitur sede. (Hic præteritur HENRICUS de *HOVA* administrator, & ALBERTUS de *HOVA* / à Krantio, de quibus agemus in appendice vel supplemento ex *Ertwini Chronico* desumendo.)

Libro 11. capite 41. Fuit deinde Episcopus electus in Ecclesia Osnaburgensi insignis & nobilis vir Dominus CONRADUS, *Comes de Dipholt* / qui præfuit summa cum laude Ecclesiæ usque in *uberem senectam*, libertatem Ecclesiasticam utroque gladio defendit, opponens senectuti pro domo Israhel, peregitque, ut sub illius regimine satis refloresceret mirè depressus status rerum Ecclesiasticarum.

Libro 12. cap. 21. Osnaburgensem Ecclesiam deinde accepit nobilis & insignis vir Dominus CONRADUS de *Netberg* / Pontificio ibi præditus honore, electus à capitulo, vir industrius & humanus, majori etiam loco dignus, Ecclesiam usque hodie non sine laude gubernavit, *jam in Monasteriensi*, hanc tamen retinet, ut nunc mos habet, commendatam in administratione.

Krantius in appendice Metropoleos asserit ERICUM de *Brunswicia* Ducem *Grubenhagium* primo *Osnaburgensem* & mox *Paderbornensem* quæque factum Episcopum.

Accessio nostra.

Sub illo ERICO fuere pacifica tempora, tantum quod in mutatione religionis per *Lutherum* facta severus esset defensor Pontificiæ *et*

Arinae, atque etiam propter seditionem ortam, autore nobili *jano de Obery* / & patriciis duobus ductoribus *Otrone Epickers* & *Joanne Ertman* / filio prudentis Consulis *Ertwini*, (qui zelo quodam concitarunt plebem & cives ad destruendum Pontificiorum dogma, eorumque potentiam enervandam) multavit urbem magno argento, anno 1525. quod etiam fecit *Paderborna* anno 1528. Tandem cum ad se compositione quadam transtulisset *Ecclesia Monasteriensis* curam, ut trium amplissimarum Ditionum possessor gloriosus esset, moritur in *Fastenaw* non sine sinistra suspitione anno 1531. Huic succedit *FRANCISCUS Waldechiannus Comes*, qui & *Monasteriensis* factus est *Praesul*: *Mindensis* vero *Ecclesiae* administrator: quid ille in expugnatione *Monasteriensis* urbis egerit & *Sleidanus* libro decimo, & *Lutherus* in tomo secundo *Germanico Wittenbergensi*, copiose referunt: Multi etiam sub hoc Episcopo, durante obsidione *Monasteriensis*, cum sex istis *Prophetis*, qui erant *Monasterio* missi *Osnaburgam*, ubi capiebantur, clam ex civitate propter stultam plebem, postquam pertinaces essent in suo proposito, traditi Episcopo, opera & consilio *Conradi de Horne* & *Ertwini Ertmans junioris*, consulum urbis, sunt gladio puniti in loco *Stalbrinck*. Hic Episcopus quomodo per *Hermannum Bonnum* reformaverit *Ecclesias* in ditione *Osnaburgensi*, alibi, hoc est, in *Ecclesiastica Historia Evangelii renati in Westphalia*, dicetur, &c.

Mortuo *Francisco* successit *JOANNES Comes de Hoya* / *Nepos Gustavi Svecorum Regis ex sorore*, Anno 1553. de quo cum vivat, ne cuiquam aulari videar, nihil referam, sed hoc posteris reservabo, & illis, qui post ejus mortem superstites erunt.




CHRONICI
OSNABURGENSIS

Ex KRANTIO Collecti

LIBER SECUNDUS,

Qui res gestas & historiam rerum secularium
DITIONIS OSNABURGIACÆ
continet.



Reverendis, Amplissimis, Nobilibus & Eximiis
Dominis

Domino JODOCO DINCKLAGIO, Præposito

Et

Domino JOANNI SMISINGIO,

Decano, ac reliquis Dominis Canonicis Cathedralis Eccle-
siae ac Collegii per Saxoniam Westphaliamque antiquissimis,
in urbe inclyta Osnaburgensi.

Etsi omnium primò per totam Provinciam Carolus Magnus Academiam
& celeberrimam Scholam, in qua non solum lingua diligenter tradita
sunt, sed etiam facultates, præcipuè Theologica & Juridica (de Medi-
ca nihil dicam) tum quoque artium exercitia egregie sine ulla dubio mox post
primam illam ordinationem D. Imperatoris floruerunt, constitueret in vestro
collegio, viri Reverendi nobiles & Eximii, imò illud ipsum vestrum collegi-
um vellet vel imprimis Scholam sive Phrontisterium totius esse Pro-
vinciæ, in quo semper clerici græcæ non minus, quam latinæ linguæ, ali-
rumque rerum, ut Privilegium indicat, docti essent, tamen semper ante
quot sæcula in reliquis Cathedralibus Ecclesiis & per Saxoniam & Westphaliam
fuisse Scholas quoque præclaras, & quidem non alias, quam nunc decem
sunt, in quibus ipsi Scholastici, & alii ex Collegio gubernatores, forsitan Episco-
pi ipsi & Præpositi, Decani, aliique seniores collegiati) docebant publicè, Ratio-
tius in multis locis sue Saxoniae & Metropolis testatur: idque non solum
dixi de vestro collegio, sed etiam de aliis, ut de Magdeburgensi (ubi Othricus
Episcopus doctissimus & famigeratissimus, celebrem auditorum fre-
quentiam habuit) de Bremenli, in quo Ludolphus de Feuler avunculus

Vicelini, & deinde ipse Vicelinus magna cum laude docuerunt, & de Paderbornensi collegio, quod ornauit Hermannus ille, qui fuit magni Vicelini præceptor, quem Helmoldus Historicus, in Slavorum historia, nobilem magistrum Hartmannum appellat, aitque sub illo literarum studia egregie floruisse, ac de Hildesimensi collegio, in quo vestra olim Ecclesia Episcopus Benno II. quem rectius alii Bernhardum appellant, ita cum Scholarcha, quem modo Scholasticum vocamus, docuit tanta cum laude, ut ejus doctrina & fama etiam Casari innotesceret, &c. denique de reliquis collegiis Mindensi, Verdensi, Lübecensi, &c. aperte scribit: Adhuc quoque nomen collegii retinetur in Academiis & Universitatibus, ubi Phrontisteria diversa studioforum collegia vocantur, quæ non frustra hoc nomen retinuerunt, ita quoque & in facultatibus atque artium studiis habent suos etiam Decanos academiæ: Nam ante Universitaturæ usum erant, teste ipso Krantio, loco Academiarum quasi studia generalia, ipsa collegia canonicorum cathedralia, &c. Ex his igitur omnibus satis apparet, quid in initio collegia etiam clericorum fuerint, nempe Scholæ: Et hoc quidem de primo usu collegiorum dictum sit. Quod ad secundum attinet, manifestum quoque est ex Krantii Metropoli, in hujusmodi collegiis, hoc est Scholis, canonicos regulares & communiter viuentes, atque simul cibum sumentes cum gratiarum actione, fuisse, qui quoque in studiis conversabantur una. Hujus rei indicium extare in urbe vicina Monasteriensi ajunt multi, quorum opinio est lectorium quartæ classis cathedralis Ecclesiæ, fuisse refectionarium olim canonicorum Summi templi, nam id scanna ibidem, mensæ & sedilia subindicare videntur. Utinamque illud sit, quod in medium relinquo, tamen Krantius fatetur, quod ipsi etiam Episcopi cum suis Presbyteris & clericis in tali communitate per Saxoniam interdum vixerint: qui etiam mos antiquissimis Episcopis, ut Martino, Augustino & Basilio, veluti Ecclesiastica historia produunt, usitatus fuit.

Videmus igitur & simul dolemus rem illam, quæ in initio a deo piè & sanctè instituta fuit, ita in abusum delapsam, ut nunc in collegiis cathedralibus vel etiam aliis, nullibi Academiæ, imo vix aliæ celebriores Scholæ extant: Et quod dolendum est, ubi illi pueriles adhuc ludi literarii sunt, ibi hodie conducti Magistri tales administrant, nihilque habent rei in ipsis Scholasticis, Decanis, Præpositisque collegiorum, tantum abest, ut isti in eis prælegerent tanquam doctores, junioresque clerici discerent: namque his temporibus tam illi canonici & clerici, qui debebant docere quam discere, hoc sui putant esse officii tantum, ut se in choro ad momentum, blasent antibus interim conductiis

cantoribus & choralibus, nescio quid, sistant & manum porrigant ad excipien-
dos nummos presentiales, ut vocant, deinde ut illa, qua ad tam pium usum sunt
olim collata, inutiliter consumant. Perit quoque plane in omnibus fere col-
legiis illa communis convivendi consuetudo, quia nunc domi suæ quis-
que in luxu vivit. Fuit tamen adhuc ante annos plus minus centum in
multis collegiis usitatum, ut Doctoribus & Licentiatis in quadam facul-
tate promotis, hoc est iis, qui publicum habebant testimonium Universitatis de
suo studio, doctrina & diligentia, aliisque doctis viris, ad dignitates de-
canonicatus aditus pateret: Sed nunc, talibus exclusis, tantum in
seculum nobilibus ad ea officia & beneficia plerumque datur aditus, ubi
nullius sæpe virtutis eruditionisve gloria sint nobilitati. Sed hæc nolo tanto de
omnibus nobilibus & canonicis dicta esse. Nam viri sane docti, sapientes &
graves in multis reperiuntur sæpe collegiis, atque tales plerisque esse etiam in
vostro collegio, Domini colendi, satis perspectum habeo: Multi viri boni in
hodie collegiis versantur, qui ab usum & luxum confratrum suorum sæpe detestantur
& detestantur, & hoc unum optant, ut abolitis abusus verus usus singulis re-
bus restitui possit. Talibus enim nolo virtutis ac doctrinae gloriam hæc mea nar-
ratione ademptam, & precor istos, præsertim qui vestro in collegio non vulgari-
bus dotibus præditi sunt, & magnam vel ex literis vel honesti factis merentur
laudem, ut pergant suo nomini, dignitati ac titulo tanquam in collegio Musi-
cum respondere, quantum possint.

Hæc enim volui apud V. Amplitudinem commentari, atque dedit mihi
occasionem ea de re differendi prima & salutaris illa vestri collegii institutio, de
qua cum etiam hic aliquid dictum sit, volui jure quodam nostrum laborem
quem in honorem patriæ communis ex Krantii scriptis collegi simul, V. Excell.
Eximii & Amplissimi Heroes, inscribere. Quid enim aliud hic agitur, quam
quod vestra Ecclesiæ, & totius ditionis res gestæ ac historia Osnaburgensis
in qua semper vestrum Cathedralæ Collegium præcipuam habet partem ac locum
describitur? quod vobis non potest non esse gloriosum. Hunc meum pium pa-
triam affectum ut boni consulatis, & hoc unum cogitatis, ut ad primam insti-
tutionem, vestrum illud splendidum & in Saxonica Provincia primum collegium
revocetur, quod in illo Phrontisterium pietatis semper vigeat, vehementer V.
amplitudinem rogo, quam opto deinde bene Valere.

V. Excell.

deditus

HERMANNUS HAMELMANNUS,
Licentiatus & Ecclesiastes Lemgovien-
SECU-

SECULARIA PROFANAQUE,

Hoc est,

Res Gestæ in terra Osnaburgensi,
ex KRANTIO collectæ.*Krantius libro I. Metropolis cap. 2.*

MITHONI Episcopo primo Osnaburgensis Ecclesia de Provin-
cia proventibus assignavit, unde cum suo clero viveret
ad confirmandos recens baptizatos in suscepta Christi
religione Carolus. Huic succedit *Meingerus* libro I. cap.
24. factus secundus Episcopus: &c.

Idem libro I. cap. 40.

Tertius Pontifex *Geswinus*, venit in eam conspirationem filiorum
adversus patrem *Ludovicum Imperatorem*, cui multi etiam alii Episcopi
intererant, &c. Et mox, cum recuperata libertate *Ludovicus*, capita
ejus factionis paulatim opprimeret, fumeretque vindictam de Episco-
pis, qui filiis ejus in eo consilio astitissent, male sibi conscius *Geswinus*
Osnaburgensis Episcopus fugam iniiit, ac se in *Fuldensi monasterio* inclusit
DEO serviens, &c. Et mox

Floruit eo tempore quidam Comes COBBO in *Seckenburg* ut pu-
tant, vir potens ex familia sua, Imperatori non invisus, imo ei pluri-
mum invisceratus. Hic in absentia Episcopi multa Ecclesiæ prædia
multasque decimas detraxit, & pro licentia sua nonnulla ex his *Corbi-*
ensi Cænobio, alia etiam *Hervordensi monasterio* deputavit, quibus in lo-
cis præerant homines sui sanguinis.

Libro 2. cap. 17. *Metropolis*. Cupiebat *Cobbo* aliquem Episcopum *Os-*
naburgæ, qui non admodum instaret pro recuperatione decimarum &
prædiorum, quæ ille huic Ecclesiæ abstulerat & *Hervordensi* & *Cor-*
biensi Monasteriis applicuisset: Effecit igitur apud *Ludovicum Germa-*
nia regem, ut consentiret in GOSBERTUM Ecclesiæ Osnaburgensi
præficiendum.

Libro 2. cap. 26. Cum EGBERTUS invenisset Ecclesiam suam mul-
tis decimis & prædiis nudatam per latibulum tertii Episcopi *Geswini*,
& per dissimulationem *Gosberti* quarti in ordine, non dissimulavit Ec-
clesiæ damna plurima, itaque ab Archiepiscopo *Colonensi Willeberto* auxi-
lium

lium imploravit. Ille imploratus opem ostendit per literas, Tuum in-
quiens, erit, o frater, manum immittere in rem, nos tibi auxilio, consi-
lio & favore non decimus, & si opus sit humeros tecum ad portandum
submittemus, tantum prior videatur in rem operata. Quare instan-
tia effecit ille *Egbertus* plurima, ut causa in iudicium pertraheretur, &c.
Et mox quæ potuit de rebus Ecclesiæ recuperavit, quæ vero non pote-
rat, in his causam vulneratam & jam inchoatam reliquit successori.

Libro 3. capit. 7. *Egelmarus* jura Ecclesiæ recuperavit, & multum
in re effecit apud *Arnulphum Imperatorem*, & deducta est causa Ecclesiæ
in iudicium Imperatoris, & præsidente Imperatore productæ sunt litteræ
& recognita *Caroli Magni* abavi istius Imperatoris, & adjudicata, *quar-
sum decima & prædia Osnaburgensi Ecclesiæ*, & excidit causa *Hoxar
Abbas de Corbeia*, quia *Egelmarus* etiam alias quasdam Ecclesias earum-
que donationem consecutus est ab *Arnolpho* Imperatore, videlicet in
Bocharcon / in *Messendorpe* / in *Duren* / in *Kirchberge* / in *Stratatesheim* &c.
Sed non est verisimile istas Ecclesias unquam tenuisse in possessionem
Osnaburgensem Præsulem.

Libro 3. cap. 14. Sequitur DODO. Extat autem privilegium ejus-
dem Ecclesiæ insigne, quod hic Dodo fertur impetrasse ab *Ottone I. Ro-
manorum Rege*. Quod si verum hoc est, per plures annos sedit quam
per duodecim. Nam ad *secundi Dodonis* tempora non potest hoc Privi-
legium referri, quia is incidit in tempora 2. & 3. *Othonis*, quorum neu-
ter extitit Romanorum rex, sed Imperator tantum. Eximit hoc privi-
legium Ecclesiam omni onere, quod à Præfectis aut dominicis nunciis
posset imponi, &c.

Libro 3. cap. 25. DROGO octavus Episcopus Osnaburgensis, hic
ab *Ottone I.* impetravit privilegium Anno 952. quo renovantur vetera, & an-
nationes Ecclesiæ facta per *Carolum Magnum* inseruntur literis. Ille adiecit
privilegio mercatum publicum in loco *Widenbrugge* / atque *vectigalia* ubi
colligenda donat Ecclesiæ Osnaburgensi, ob merita *Drogonis* Episcopi.

Libro 3. cap. 39. *Ludolphus*, consanguineus *Ottonis II.* vir nobilis, &
forsan ex antiqua nobilitate Saxonum, unde etiam fuit tribus *Ottoni-
bus* origo, genus traxit: Hic ab illo Imperatore privilegium consecutus est,
quo amplificatur illa Ecclesiæ, Nomina prædiorum quæ dedit sunt hæc, *Wido-
derberg* / *Hesnow* / *Linga cum curtibus & mancipiis adjacentibus*: quæ adeo
etiam dedit memorato Episcopo in proprietatem, ut si videretur illi pro
arbitrio suo alienaret. Quæ res indicat, magis Imperatorem, cum daret
respo-

respexisse personam Episcopi, quam Ecclesiam, alioqui arbitrium non permisset distrahendi, & data sunt literæ in Fogbarden/ sive illam Longobardiam signaverit, sive alium locum. Crebrius enim ille Imperator in Italia fuit & ibidem mortuus est.

Libro 3. cap. 45. *Dodo II.* ejus nominis præfuit Osnaburgensi Ecclesie, sed annales nihil insigne habent, quod in rebus pro Ecclesia gestis nomen ejus illustret, &c.

Libro 4. cap. 13. Successit venerabili *Theitmaro Monchero*, qui tantum per quatuor annos præfuit Ecclesie Osnaburgensi, & res magnas non potuit moliri pro temporis sui brevitatem. Monchero successit *Alverius*, de quo dictum est libro primo. Huic autem successit *Wernicherus*, alias dictus *Benno*, ut in libro primo dictum est.

Libro 5. cap. 26. BENNO II. 18. Episcopus Osnaburgensis erexit in loco ameno & monte conspicuo *Monasterium* sub regula D. *Benedicti*, atque in altera partemontis arcem firma vit *Jborg* nomine, inter firmissimas Saxonie.

Libro 5. cap. 36. *Marquardus*, olim *Abbas Corbiensis*, Episcopus fuit Osnaburgensis per annos sex, & tunc est depositus Pontificatu: non tamen commemorant annales causam & ordinem depositionis ejus, sed datur conjectare, ut quoniam turbulentissima fuere tempora inter sacerdotium & regnum, inter summos Pontifices & Imperatorem *Henricum IV.* super investitura Pontificum, quæ usque in illa tempora habuere Romani Imperatores. Erat autem annus Domini 1093. in quem incidit hujus Pontificis depositio, & potest fieri, quod aperte nimis se hic Episcopus opponeret *Henrico IV.* parens Pontifici, aut contrà nimium pertinaciter adhæserit Imperatori, & ita sit Ecclesia destituta.

Libro 5. capite ultimo, hoc est, 38. Deposito *Marquardo* Episcopus 20. ordinatur sub *Henrico IV.* qui fere Imperator fuit per annos 50. *WIDO*, sub quo verus Ecclesia Osnaburgensis incendio conflagravit.

Libro 6. cap. 34. *PHILIPPUS Comes de Cakenellenbagen* fuit Episcopus 25. qui armis & religione tutatus est Ecclesiam, ut utrobique res crescerent: Erant tunc nobiles de *Holte Barones*, qui cum fiderent suæ arci munitissimæ, turbabant multorum pacem. Admoniti ab Episcopo, rem contempserunt. Armis igitur agendum putavit, vallavit arcem inexpugnabilem & in septennium ita communivit itinera, ut adiri non possent in portandis comitatibus, finaliter arcem de manibus eorum ademit, ut æquiores essent in posterum servandæ paci, &c.

Libro 6. cap. 44. Postea factus est *ARNOLDUS*, Præpositus Ecclesie

fiæ majoris, *Episcopus vicesimus sextus*, qui auxit prædia & possessiones Ecclesiæ, &c.

Libro 7. cap. 7. GERHARDUS de Lippia Osnaburgæ 27. Pontifex multa multis dedit fenda etiam Comitibus: extant adhuc literæ; sed suo capitulo & ministerialibus, quia ipsorum votis non adquevit, non erat gratus. Itaque postulat in *Episcopatum Bremensem*, facile confectus.

Libro 7. capit. 19. Præfuit 28. loco ADOLPHUS per annos 21. cum plurima sui laude & suorum profectu.

Libro 7. cap. 43. BRUNO de Ysenberg/ fuit tunc *Episcopus Osnaburgensis*, cum frater ejus *Fredericus Comes de Ysenberg* occidisset, cuius ei 28. vulneribus, quam crudelissime *Coloniensem Episcopum Engerum*, & hic Bruno, cum fratre tertio *Theodorico Episcopo Montberienfi* habitus de isto facto suspectus, & quasi conscius accusatur summum Pontificem & convincitur, deponiturque, sed gratia impetrata restituitur.

Libro 8. cap. 7. 30. *Episcopus* fuit post *Brunonem WEDEKINDUS Comes de Waldech*/ qui erat rebus gerendis idoneus, in rebus familiaribus civiliter tritrus, agrum ex mirica redegit plurimum ad culturam auxitque fruges, & in frugibus proventus Ecclesiæ plurimum. Unde factum est, ut & albus panis triticeus ad abundantiam proveniret canonicis: Prædia quoque adauxit, ut potuit, perpetuo Ecclesiæ servitura.

Libro 8. cap. 19. BALDUINUS de Ruffle 31. Pontifex successit *Wedekindo* & omni cum laude per decem annos præfuit Ecclesiæ Osnaburgensi, &c.

Libro 8. cap. 28. Post *Balduinum* factus *Episcopus Conradus de Netberg Comes, trigessimus secundus*. Hic arce *Tecklenborg*, cum pertinentiis suis data pecunia accepit in pignus, cum capitulum & civitas non parvas summas in eam rem impenderent, præstita cautione de indemnitate rerum sub certis pœnis: Hic etiam contulit capitulo suo piscaturam, quæ illi fuit a molendinum in urbe, *Möllenhoff*/dixere locum. Tunc etiam in iura sacrorum observationum laudabilium, quod *judicia feudi* servarentur in urbe: ita ut quoties esset de investitura tam marium quam sceminarum controversia, causæ discuterentur inibi coram iudicibus ad hoc deputatis, ut cessaret strepitus & fatigatio de talibus rebus ad sublimiora tribunalia.

Libro 8. cap. 52. In locum *Conradi* venit *LUDOVICUS Comes Ravensbergicus*, huic multa oriebantur adversa. Illi namque *SIMON Comes de Lippia* ex arce *Engeren*/ veteri sede Saxonum & imprimis *Wedekindi* ac filiorum ejus, multas injurias ditioni Osnaburgensi & ejus sub-

ditis irrogavit. Accidit igitur, ut dum armatus conaretur *Simon* abigere pecora ex eadem ditione, occurreret *Ludovicus* instructus militibus per compendia agmini hostium, & facta congressione more militari, cum infestis invicem concurrissent, multo labore exantlato, tandem capitur Comes *Simon* & in civitatem *Osnaburgensem* captus abducitur, sex annis retentus in vinculis, donec consentiret, ut redderet arcem, & novum oppidum *stirpinus* everteret, juraretque, in reliquum se abstinere velle injuriis ditionis *Osnaburgensis*. Fidei iussores intervenere *Comites de Teckeneburg*, *Bentheim*, *Sivalenburg*, *Barones Balduinus de Steenvorth* & *Otho de Uhus*: et milites *Burchardus de Stromberge*, *Bernhardus de Beveren* & alii &c.

Bellum eidem Episcopo *Ludovico* oritur cum *Monasteriensis Ecclesia* occupatore *Othone de Monte* cui auxilium tulit *Comes de Marca*: nec dubitavit *Ludovicus* occurrere hostibus, tandem longa interveniente conflictatione superatur *Comes de Marca*, qui ante tulerat candidum Episcopum habitum, quem armis superinduit *Comes* paludamenti loco, cumque jam capto superemineret jacenti Episcopus, advolans quidam ex agmine Episcopi, cum crederet Episcopum premi sub Comite, quasi Comiti, vulnus lethale infixit suo Domino, ignorans Episcopum esse. Victoriam cum ita reportasset, tertia post die ex vulnere moritur.

Libro 9. cap. 11. ENGELBERTUS *Weppe* venit post *Ludovicum*, qui fecit nonnullas prædiorum commutationes ditioni valde salutare si in eo statu rerum permanere potuissent. Arcem *Witlage* dicitur hic Pontifex pro viribus Ecclesiæ suæ conservandis ex ædificasse lateque prospexisse Ecclesiæ & diocesi suæ, imo tutandis & amplificandis libertatibus instituisse plurimum.

Libro 9. cap. 27. Post *Engelbertum* factus est Præsul *GODTFRIDUS* *Comes de Arnsberge* qui finitima bella evitare non potuit. Nam adhefit *Monasteriensi Episcopo Ludovico Hassia Landgravio* tunc pugnanti cum *Comite de Marca*, qui *Comes* ex diversis Provinciis præcipue vero ex universis ditionibus occiduis videlicet ex *Geldria*, *Montana terra*, *Leodio*, *Trajecto*, *Flandria*, *Hollandia* & *Arthesia* milites collegerat: tanta enim fuit multorum Heroum conspiratio cum uno *Comite de Marca*, ut ex omnibus istis religionibus turmatim venirent & obruerent *Monasteriensem Episcopum*, à cujus partibus stetit *Osnaburgensis*: Et quanquam variæ fierent ab utraque parte conflictationes, varia utrobique fortuna esset, tamen cum tandem totis agminibus concurrerent, stetit demum victoria apud *Monasteriensem* & *Osnaburgensem Episcopos*. Multa quoque per annos 30. hic fecit Pontifex, quæ quoniam illustrandæ religioni non sunt accommodata, transimus.

Libro 10. cap. 4. Successit Godefrido ad Bremenſem Eccleſiam poſtulato, Doct̄or JOANNES HOED/ ex proſiſione Romani Pontificis propter moram capituli, quod alium, nempe Doct̄orem Lubertum de Wend elegerant, ſed ille maluit religioni Monachiſtice operam dare quam Episcopum agere, JOHANNES igitur primo providit ſuæ Eccleſiæ, ut ad eam transferret Caroli quarti Bullam dictam Carolinam, in qua Eccleſiaſtica proſpicitur libertati. Hic quoque multos nobiles inveſſit de feudis Eccleſiæ per manum D. Conradi de Eſſen/ Decani. Non deſtreſtaverẽ Comites accipere feudum de manu Pontificis Plebei, tamen dorum hoc videretur militaribus. Nicolaus Comes de Eckſtenberg, & Eberſin, Balduinus de Stenwordia ſumpſere feudum, quorum exemptionem contemnere non poterant minifteriales vel militares.

Exoritur Johanni turbatio, quia ſcœdus iniiit cum militaribus & civitate, omiſſo capitulo, quod ipſum erat indignatione plenum. Non diu duravit ea res: Nam cives aliquot in Zborg/ publico iudicio demnati furcis ſunt necati: nec diu poſt confeſſus eſt ipſe Pontifex citra ſuum conſenſum injuſte rem peractam, utcumque erat, quia militaribus viris opus erat, illis auſcultabat, uſque adeo, ut ditionis arces & oppida alienare cogeretur, quæ res adeo excrevit, ut cum dilapidator rerum Eccleſiæ haberetur, opus eſſet Coadjutore. Iſerat THEODORICUS Comes de Marca, frater Engelberti, hic ſtrenue gubernavit, multa recuperavit, optimaque inſtantia rem omnem geſſit: ipſeque implicitus bello cum Mindenſibus, multis ſuorum caſis demum captus diuque tenetur, donec fratris Engelberti armis in libertatem reſtitueretur. Interim Joannes Episcopus, coadjutore omnia gerente, quieſcebat. Docere voluerunt viri militares plebeum hominem, quid eſſet in eorum medio principari, aliud eſſe apud ſedem Apoſtolicam multo agere, Scholaſticiſ doctrinis pollere, quam verſari inter arma, Provinciam gubernare, virisque militaribus permiſſeri.

Libro 10. cap. 24. Cum MELCHIOR, Dux Brunſwicenſis, poſt mortem Joannis Hoed perveniſſet ad Oſnaburgenſem Eccleſiam ex proſiſione Romane ſedis, quia ſi capitulo fuiſſet permiſſa electio, ſine dubio Theodoricum de Marca adjutorem prioris Episcopi elegiſſent, ut de ditione optime meritum, interim occulte venit capitulum in ſuſpicionem quod faveret ſolicitanti Romanam proſiſionem Melchiori: notos enim odimus, & ignotis favere ſolemus: forte erat in moribus Theodoricus Comitis, quod formidaret capitulum. Utcumque fuerit, Dominus Melchior pervenit ad ditionem, quanquam arces & oppida erant in manu
memo

memorati *Theodorici de Marca*, unde non nisi are redimi poterant. Nam hic multa cum fratre Engelberto impenderat in ditionem illam per arduos labores, quos exantlavit, renovavitque multa in mœnibus & turribus fortaliorum hinc inde. Tandem facta conventionem, *Melchior Episcopus cum capitulo & civitate Theodorico pecuniam impensam reddere promiserunt*, pignora tradentes, donec exolveretur: Cepit ita ipse Episcopus administrare omnia, verum ipse mox involvitur are alieno, traditque in pignus arces & oppida diversis, atque ita ditioni gravis erat. Bellum deinde illi oritur contra *Comitem de Hoya*, & ab eo damna inferuntur ditioni: Ita fit, ut concurrant Episcopus & Comes armati: *Capitur Episcopus à Comite*, & abducitur, gravis pecunia redemptioni præfinitur, quam cum captus præstare non posset, cogitavit *Dominum Theodoricum de Marca* revocare ad vicariatum, ut ejus ope relaxaretur. Erant tamen qui rem istam clanculo impedirent, quod scirent, *Theodoricum* pro industria renisurum ipforum impiis conatibus. Verum cum in diocesi ageret quisque, quod videretur, fierentque rapinæ, latrocinia passim, & etiam in porta civitatis concurrerent, consultant ita, & fit decretum de pristino consilio, ut revocetur *Theodoricus de Marca*, qui erat jam *Coloniensis Præpositus*: Is rogatus non recusat, & fit ita, redempto Episcopo *Melchior*, & ad se translatis receptisque in suam fidem arcibus, melior rerum status per totam ditionem: Assumitur enim *Theodoricus* jam *Coloniensis Præpositus*, *vicarius tam in spiritualibus quam temporalibus*, omniaque sunt rursus in ipsius manibus & prosperatur ei negotium plurimum. Interim Episcopus nihil agit, sedet tantum & intuetur omnia, quia cum ille nihil posset, splendide tamen omnia geruntur per vicarium. Verum hujus demum status pertæsum est *Melchiori* Episcopo, agit igitur omnia, ut perturbet rerum statum: Proficiscitur ita *Avinionem*, procurat ut citetur *vicarius* & qui cum illo rem gerebant. Interim *vacat Ecclesia Sverinensis*, pro ea itaque impetranda laborat *Melchior*, quam etiam consecutus est.

Libro 10. cap. 48. Translato *Melchior* eligunt *Præpositum* suum **THEODORICUM** de **HONA** in Episcopum: mira res cur in electione non sit habita ratio *Comitis de Marca Theodorici*, qui tam bene meritus erat de Ecclesia & ditione Osnaburgensi, quam etiam altera vice pene solus exemit miris difficultatibus, unde emergere suis viribus nunquam potuisset ipsa: Sed conjicio de temporum ratione, quod non legi, fuisse non paucos neque eos de minoribus, qui virtuti *Theodorici* inviderent, qui ve timerent asperitatem ejus, si pontificatum accepisset:

Potuit & illa causa fuisse, quod Episcopatum illum tantis perplexitatibus involutum non ambiret, cum sciret, quid illi immineret: In summa, cum ille pecuniam recepisset, aut pro non accepta teneret pigora, venit *Theodoricus Horne ad administrationem*. Sed major fuit illi adversarius *Ottho de Teckeneburg Comes*, qui *dotalio* tenebat *Ecclesia prædialis*, quæ à nobili *Comite de Lippia* *socero* accepisset: Postulavit igitur Episcopus reddi jura sua, Comes detrectavit: fit durissimum bellum atque atrocitudo, ut sæpe de sanguine certaretur, captosque invicem necarent dispendio: sed ea res (suspendii) placito partium antiquatur: Capimur interim denovo utrobique multi & emunguntur invicem argenti, deam fuit cruentum, ut nullius pene exitus ejus videretur: Fit inter partium pace deliberatio & tractatus: Inventus est, qui auderet deposcere, Episcopum solo Ecclesiastico ministerio occupandum, ordinaret clericos, consecraret Ecclesias & reliqua, quæ sunt sui ordinis, exerceret, Comes interim *Otto* *effugit* *tronus* & defensor Ecclesia cum filio *Nicolao*. Sed inter patrem & filium tanta erat concordia, ut sæpe conaretur patrem capere filius, id quod etiam nostra ætate factum vidimus in eadem domo. *Theodoricus* vero Episcopus laborando circumspiciendoque effecit, ut de manibus Comitum ea, quæ erant juris Ecclesiastici, extorqueret.

Orta etiam simultate inter clerum & populum Osnaburgensem super oneribus, quæ diu portaverant cives per bella & redemptiones prædiorum, petivere à clero de patrimonialibus subsidium: clerus allegavit privilegium, tandem res est per arbitros terminata. *Theodoricus* autem Episcopus senio fractus emigravit.

Libro II. cap. 25. HENRICUS *Slesovicensis Dux*, electus, mox desinit Ecclesiam, profectus ad suos, cæso fratre *Gerhardo* in *Theimaria*.

Libro II. cap. 39. ERICUS de *Hoya* Osnaburgensis Episcopus electus, ejicitur sede sua, odio fratris sui *Joannis* viri omnium vivacissimi implicatur etiam majoribus rebus, cum à civitate *Monasteriensi* ad Episcopatum illius urbis vocaretur, sed etiam ibi frustratus, &c.

Libro II. cap. 41. Osnaburgensem Ecclesiam suscepit CONRADUS Comes de *Deipholt* / cui se Duces ac Comites submiserunt. Multus illi labor ad reparandum disjectum Ecclesiæ & ditionis statum per tempora prædecessorum suorum turbulenta fuit: Exercuit quandoque gladium pro temporum ac rerum necessitate, prout cernebat vel hunc vel illum magis formidari.

Libro 12. cap. 21. CONRADUS de *Netberg* / in sui susceptoris locum est electus Episcopus Osnaburgensis, & postea etiam factus *Monasteriensi* Episcopus.

Episcopus, hic omnia bene egit, & erat vir prudens & doctus: fructus ille est temporum tranquillitate, & maxima nihilominus autoritate inter omnes habitus, idem Episcopus armis, viris, opibus, arcibus, prædiis, reliquisque rebus ad splendorem abundantissimus: &c.

Krantius in appendice Metropoleos sic scribit: *Mortuo Conrado* assumitur ad Osnaburgensem Ecclesiam Illustris Princeps ERICUS, *Dux Brunsvicensis de Grubenhagen* &c.

Acta quadam Osnaburgensem ditionem concernentia, ex Krantii Saxoniam descripta.

Krantius libro 6. cap. 39. Saxoniam, scribit prolixè de pugna quam habuit Henricus Leo cum Colonienf. Episcopo Philippo prope Osnaburgam urbem in Hallersfeld / ubi à Colonienf. partibus stabant Comes Tecklenburgicus Simon, Hermannus Comes de Ravensberge / Widekindus Comes de Erwalenberg & alii (forsan Episcopi) Leonem Henricum juvabat Adolphus Holsatia & Schorvenbergi Comes cum filio, Bernhardus Comes de Lippia, Bernhardus Comes de Haseborg / & Bernhardus de Welpe Comes: item Gunselinus Comes de Sverino, Ludolphus & Wilbrandus Comites de Halremunth, &c. Ibi cum fortissime diu pugnatum esset, cessere Westphali & Colonienf. Episcopi milites, eisque Leonis Henrici socii prevaluerunt, estque captus Simon de Tecklenborg Comes, &c.

Krantius libro 10. cap. 7. Saxoniam, Osnaburgenses tum rem habuere cum Comite de Tecklenborg: Cumque rem verbis transigere non possent, quod cives ab eo contemnerentur, quam diu Episcopus conquiesceret, sed ubi ad arma ventum est, auxilio illis fuere cives Monasterienses, perpueruntque Comitum in eas rerum angustias, obsessa arce Lingen / quam etiam de proximo capturi videbantur, ut ad placita & tractatum disceptativos veniretur: In quibus ita armis edomitus videbatur, ut in æquas cum illis condiciones descenderet, positoque nobilitatis fastu cives in suo jure & gradu recognosceret, sineretque perfrui vetustis, & longa consuetudine probatis libertatibus, &c.

Krantius libro 10. cap. 16. Saxoniam, Bernhardus Dux Luneburgensis & Otto Comes de Hoya / cum hostili essent animo in Episcopum Osnaburgensem (incertum ex quibus causis) magno agmine ingressi diocesim, igne faviunt ac gladio ad inermem rusticam plebem. Magnam autem prædam præ se agentes, cum oppidum de Vechta prætervecturi in sua redire festinarent, cives ejus oppidi conclamant ad arma, signo campanæ dato & egressuris objecti alii prælium instituunt, Vechtenses ita perurgebant Prædatores, ut facile omnia præda fugæ præsidium quærent. Ita unius oppidi animoso objectu diocesis fatis vindicata & restituta est.

Libro 11. capite 17. Saxonix. *Cives Osnaburgenses* cum haberent adversus *Hervordenses* nonnihil quæstionis, quod jure aut legibus, aut amicis tractatibus dirimi aut non posset, aut partes pro stoliditate non paterentur, excitare connisi adversantes, ipsi *Osnaburgenses* cum *militaribus Ecclesia* progressi sunt in hostem, prædam ex jumentis de more militari facturi. Pervenit motio ad *Hervordenses*, qui de *Lippia Dominum* & nonnullos alios nobiles in societatem armorum assumere, præstolantes adventum *Osnaburgensium*. Exierunt ad prædam ut rediretur abigi paratam. Sed occurrerunt armati *Hervordenses*, qui præter venientes excepere: Pugnatur paribus animis & aliquandiu accendere viribus videbantur. Sed in diuturnitate inclinavit fortuna illis, quæ defensionem præferabant ab aliis incurfati. *Hervordenses* ergo præter superiores sexaginta ex adverso hostium agmine captos abduxerunt, quorundam stratis, reliqui per fugam abierunt, &c.

Idem libro eodem cap. 31. *Saxonia*. Cum *Osnaburgenses* cives *comites* capitulo, *ERICUM* Episcopum suum expulerunt diœcesi, quod *JOANNEM* fratrem suum Comitem de *Hoya* / fineret omnia in diœcesi pro arbitrio agere (erat enim *Joannes* armis natus, & castris magis quam Ecclesiis deditus) unde factum est, ut cum omnia pro sua fronte gereret, Episcopo fratre quiescente, odium inexplabile suo capiti fratrisque induceret. Pulsus autem Ecclesia *Ericus* per arma fratris injuriam vindicavit. Et ille cum multis sæpe præliis irritaret cives *Osnaburgenses*, multosque sæpe & cederet & caperet, audentior factus, cepit hostes contemneret hinc factum est, ut captus aliquando, dum audentius quam prudenter dimicaret, invehitur captivus in urbem. Tam arctis autem innetum est vinculis, ut cavea clauderetur, in qua se vir procerus erigere non posset in sublime, multisque annis in eo servatur usque ad infans bellum, quod *Theodoricus* (Comes de *Morsa*) Archiepiscopus *Colonienfis*, prærebat in *Susatum*. Nam tunc copix, quæ militare Archiepiscopo venerant, primum duxere in *Osnaburgum*, oppugnationem militantes nisi *Joannes* laxaretur. Quo tempore post septennium claustra evasit, &c.

Haætenus *Krantius*.

LECTORI:

Hic pleraque dicuntur, quorum tamen initium, finis, causa & occasio non recensentur, vel non plane recitantur. Id autem fiet volente *DEO* in additione vel supplemento, quod ex *D. Erwini Erimanni Chronico* collectum propediem edemus. In quo labore jam versamur.